IO. BAPTISTAE ZANNONII

R. ANTIQUITATUM INTERPRETIS

IN MUSEO FLORENTINO

INSCRIPTIONUM

LIBER SINGULARIS.

FLORENTIAE M. DCCC. XV.

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI DADDII
in vico omnium Sanctorum
Superiorum permissu.

AD NOBILISSIMUM

ATQUE AMICISSIMUM VIRUM

ANTONIUM RAMIRESIUM MONTALVIUM

SUBPRAEFECTUM

R. MUSEI FLORENTINI.

Montalvi, hunc tibi consecrat libellum
Ioannes tuus ille, qui colit te
Iucundissimum et optimum sodalem,
Et doctum simul, integrumque vitae,
Atque ob ingenium suave, apertum,
Plebi et Patriciis peraeque amatum.
Reddit sed meritis vices iniquas
Ioannes tuus ille, qui colit te
Iucundissimum et optimum sodalem,
Istum dum tibi consecrat libellum,

Qui, quanto tua scripta sunt venusta,
Tanto est illepidus, rudis, malusque.
Sed quum muneret hisce te venenis,
Disces quam tibi sit periculosum
Eius esse aliquid putare nugas,
Atque, ut proferat, incitare, in auras.
Ergo, si sapias, tibi molestus
Scripta cum sua perlegit sodalis,
Eripe e manibus, statimque trade
Deo tardipedi ustulanda lignis,
In mille aut laceres minuta frusta,
Ne dehinc muneret hisce te venenis.
Verum ne haec timeas venena, sodes,
Ut canis rabidi, anguiumque morsus,
Sive, queis perimit cicuta, succos.
Haec sunt nitia, si et scias bene uti,
Possis vivere Nestoris per annos.
Cura nam auxia nocte cum remordet,
Iucundumque oculis rapit soporem,
Isti si admoveas manum libello,
Lethaeo hic melior, potentiorque
Succo, quem Cereris ministrat herba,
Sic somno ilicet irrigabit artus,
Ut quamvis tonitru polus frequenti
Strepat, vel celeres agant cubiclo
In ipso innumeri pedes choreas,
Tribus te alta quies premat diebus.

CAPUT I.

AEDES, SACELLA, ARAE *etc.*

Marmor in nova aede S. Mariae ad Trivium dioecesis Sarsinae (1).

Anno · M. C. III.
aedem · S. Mariae · ad · trivium · a · Georgio et · Gandulfo · fundatam · Rigus · et · Ubaldus Georgii · filii · Martino · Eremi · Camaldulensis Monaco · priori · V. ab · instituto · condito donum · dederunt · unde · Monachorum · familia inducta · est · Quibus · an. M. D. LIX. amotis praeter · unum · qui · sacra · curialia · procuraret quod · munus · etiam · decimo · post · anno abrogatum · est · reditus · eorum · coenobio · S. Felicis · de · Florentia · cesserunt · indeq. distracti per · comitia · in · monasterio · ad · Carceres dioecesis · Patavinae · habita · an · M. D. LXXII. collegio · Monachorum · quod · in · urbe · S. Sepulcri · est · ad · Nicolai · adtributi · sunt An. M. DCC. XXVI. quum · aedes · eadem · vetustate

(1) Nescio an revera inscriptio fuerit inscalpta. Semel quoque moneo, idipsum me dubitare de nonnullis aliis in hanc syllogen relatis. Hoc inquirere operosum nimis mihi visum est, et si me opinio non fallit, fuisset etiam inutile lectoribus. Abstinui item inquirere, an aliquae praeter fidem exemplaris mei fuerint propositae. Hoc tamen, doctus usu, puto accidisse. Si enim homines illi qui in hoc praesertim genere litterarum se posse plurimum confidunt, et aliena ad arbitrium damnant, detruncant, augent, immutant, non pepercerunt magno Lanzio, quomodo putem pepercisse mihi, qui huic neque ingenio, neque doctrina sum comparandus?

dilaberetur · ne · Deiparae · cultus · eius · imagini prodigiis · insigni · praestitus · una · intercideret restituta · est · Quumque · tandem · ad · non reparabilis · ruinae · labem · in · dies · properaret Ambrosius · Soldanius · Florentiae · ad · S. Mariae Angelorum · Abbas · summusq. ordinis · Camaldul. praeses · in · curiae · commodum · huc · ex indulgentia · M. Aloisiae · Etr. Reginae · regnique administrae · titulum · transtulit · opere · ab inchoato · extructo · in · quod · et · populares largam · stipem · sua · sponte · contulerunt
dedic. An M. DCCC. VII.

II.

Florentiae ad S. Petri in Gattolino.

Templum · hoc · Deo · sacrum
in · honorem · Petri · Apostolorum · Principis
squalore · obsitum
Antonius · Laurentius · Brunaccius · curio
ara · maxima ab · inchoato · refecta
minoribus · instauratis
storea · lacunari · praetenta
luminibus · adauctis
picturis · per · artifices · elegantissimos
udo · tectorio · inductis
splendidiorem · in · faciem . restituit
anno · M. DCCC. VIII.
ex · pecunia · a · colentibus · maxime popularibus
conlata.

II. v. 8. Luminibus adauctis. *Cresciute le finestre.*
v. 9. 10. Picturis etc. *Pitture a fresco*
v. 13. a colentibus. *Dai devoti.*

III.

Augustae Taurinorum in sacello domestico Marchionum Taparelliorum de Azelio.

Cordi · Iesu · Sanctissimo
laborum · curarumque · omnium · perfugio
Marchio · Caesar · Taparellius · de · Azelio
sacellum · hoc · excitavit · an. M. DCCC. IX.
ad · ferventissimi · ipsius · erga · homines · universos
amoris · gratias · agendas
sibique · in · eo · tutissimam · requiem
post · obitum · comparandam.

IV.

Florentiae in sacello publico Oricellariorum.

Iosephus · Horatius · Oricellarius
sacellum · gentis · suae
Christi · sepulcro
ad · formam · hierosolymitani · excitato
insigne
eoq. nomine
a · profanatione · aedis · S. Pancratii · martyris
immune
pariete · intergerivo · disiecto
Sodalitio · Iosephianorum · adiunxit
et · hanc · aram · cum · omni · ornatu · refecit
dedicavitq. VII. kal. april. an. M. DCCC. IX.

IV. v. 10. Iosephianorum. *Ipsi postea hinc sunt amoti.*

V.

In sacello Praetorii Gianfigliactior. in agro Marignolle.

Dei · Filio
tormenta · ad · mortem · perpesso
Elisabetha · Gianfigliactia · Io. Bapt. Verdii · uxor
aram · extruxit
sacellum · omni · cultu · ornavit
an. M. DCCC. III.

VI.

Additamentum inscriptioni positae in Sacello Villae Baldovinectorum in vico Martis dioeces. S. Miniatis.

Anno · M. DCCC. XII.
Ioannes · de · Podio · Baldovinectus · instauravit
titulumq. S. Theresiae · addidit
quod · filiae · suae
quae · eodem · anno · ortum · habuit
a · caelesti · patrona · nomen · indidisset.

VII.

Finalii in Sacello domestico Marcelli Grillenzonii.

v. id · Septembr. an. M. DCCC. XIV.
adstantibus · magnis · hospitibus
Francisco · IV. Mutinae duce
et · Archid. Maximiliano · fratre · ejus
primo · sacro
litatum · est · ad · aram · huius · Sacelli
quod · ornavit · et · omni · supellectile · instruxit
Francisca · Albarellia · soror · Clarensis

quandiu · coenobia · steterunt
cuius · est · usus · fructusq. domus · istius
quarum · rerum · ne · intercideret · memoria
Marcellus · Grillenzonius · marmor · p. c.

VIII.

In Sacello publico villae Billiorum prope Faesulas.

Anno · M. DCCC. V.
quum · Pius · VII. P. M. iubilaeo · per · Etruriam
indicto
plenam · admissorum · veniam · indulsisset
ea · conditione
uti · templa · ab · Episcopis · decernenda · ter
inviserentur
Sacellum · hoc
ex · Auctoritate · Raynerii · Mancinii
Pont. Faesulani
popularibus · curiae · Dominicianae · adsignatum · est
Anna · Billia · Antonii · Rossii · medic. d.
uxor · tabulam · cum · inscriptione
marmoream · pon. cur. memoriae · caussa.

IX.

Castelliolae Pedemontii. Titulum aedis ignoro.

Signum · Iesu · extrema · perpessi
huius · aedis · suggestu · olim · impositum
et · ea · IV. id. novembr. an M. DCCC. XII.
penitus · collapsa
inter · ruinas · incolume
dum · crux · ipsa · qua · fuerat · suffixum

ad · evidentiorem · ostenti · significationem
contrita · est
Praepos Laurentius · Pola
hac · theca · inclusum · cultui · publico · proposuit
scriptumq. marmor, · addidit
ad · rei · memoriam · admirabilis
postgenitis · omnibus · propagandam.

X.

Exposita per triduum in fronte aedis tit. S. Martini a Gangalandi *prope Signam.*

Mariae · genetrici · Dei · opiferae
nimborum · et · tempestatum · potenti
sacerdos · curiae · martinianae . praepositus
supplicationem · per · triduum
ornatu · templi · splendidissimo
et · concentibus · musicis
ex · stipe · quam · populares · largissimam
contulerunt
Te · volente · Virgo · parens
ingenti · tellus · foenore
reddet · agricolae
mandata · sulcis · hordea
venient · palmitibus · felicius . uvae
non · Arnus · vagus · labens . aggeribus
tumido · in · sata · perfuret . fluctu.

CAPUT II.

SOLEMNES GRATIARUM ACTIONES HABITAE FLORENTIAE PRO REDITU PII VII P. M. ET FERDINANDI III. M. E. D. AN. 1814.

I.

Exposita ad S. Remigii et in Ephemerid. Florent. suppresso nomine auctoris relata.

Deo · opifero
huius · curiae · populus · vota · persolvit
quod · repentino · evidentissimoque · ostento
Europa · bello · crudeli · et · maximo · exsoluta
Christiana · Republica · in · libertatem · adserta
Pio VII. P. M. e · custodia · educto
Ferdinando · III. Austriaco
fervidissimis · civium · suorum · votis · restituto
publicas · lacrimas · in · commune · gaudium
converterit.

II.

Exposita in fronte Aedis S. Aegidii Valetudinarii S. M. Novae.

Christo · Iesu · praesenti
quod
pace · Ecclesiae · et · Imperiis · reddita
ad · explenda · Tuscorum · vota
eis · etiam
Ferdinandum · III. Austriacum
principem · optimum · indulgentissimumq.
reddiderit

Curio · et · Presbyteri · qui · aedi · Aegidii
apparent
itemque · curatores · census
valetudinariorum · urbis
et · ministri · primores · nosocomiorum
S. Mariae · Novae · et · Bonifacii
supplicatione · solemni · gratias.

III.

Alia typis impressa, ibidemq viritim distributa.

Deo · homini · mystico · pani · abdito
quod · eius · numine · auspiciisque
Tusciae · populi
in · potestatem · Ferdinandi · III. Austriaci
redacti · sunt
quodque · ob · humanitatem · legesq. salubriores
providentissimi · principis · et · parentis · publici
prisca · felicitate
frui · civibus · integre · licebit
Curio · et · Presbyteri · ad · Aegidii
et · consilium · valetudinariis · urbanis
procurandis
cum · ministris · ordinis · primi · nosocomiorum
S. M. Novae · et · Bonifacii
solemnia · gratiarum

Faxit · Deus · optimus · maximus
ut · Ferdinandus · dominus · noster
qui · cunctis · ordinibus · plaudentibus
in · suum · redit · imperium
diu · vivat · diu · regnet
tum · ad · cetera · commoda · publica
cum · ad · maiorem valetudinariorum
utilitatem.

IV.

Exposita in facie aed. S. Felicitatis et typis vulgata.

Christo · Regi · Pacifico
Ecclesiae · sanguine · suo · fundatae
custodi · et · vindici
qui · impiissimum · in · sacra · omnia · furorem
perferente · Pii · VII. P. M.
innumerorumq. Sacricolarum · constantia
cohibuit · contudit
eundemq. summum · religionis · antistitem
prisci · pontificatus · fortitudinem
nostrae · huic · aetati · referentem
successoribusq. omnibus · exemplar · factum
a · custodiae · et · exilii · aerumnis · incolumem
in · urbem · aeternam
toti · rei · christianae · componendae · reduxit
Sacerdos · curiae · huius
temporariae · administrationi · praepositus
vota · persolvit
ex · pecunia · popularium · aliorumq. colentium
collaticia.

V.

Exposita ibidem, pariterque vulgata.

Tyrannica · dominatione · deleta
Europae · populi
a · saeva · belli · arte
ad · mitissimas · pacis · artes · revocantur
Etruria · cumulatiore · beneficio · recreatur
ob · reditum · faustum · diuq. expetitum

IV. v. 15. Sacerdos etc. *Economo*.

Ferdinandi · III. Archid. Austrii
quem · religio · pietas · et · securitas · publica
comitantur
in · quo · curiae · huic · praesidium
decusq pristinum · restituitur
earum · rerum · ergo
Sacerdos · paroeciae · ad tempus · administrandae
praepositus
Deo · exercituum · potenti
Tusciae · sospitatori
gratiarum · actionem*
ex · stipe · a · colentibus
maxime · popularibus · conlata.

VI.

Expos. ad aed. S. M Brephotrophii Innocentium.

Quod · reditu . auspicatissimo
Ferdinandi · III. Archid. Austrii
Etruria · universa · est · recreata · atq. erecta
et · hoc · brephotrophium
splendidissimum · priscae · Florentinorum · pietatis
documentum
indulgentia · optimi · principis
in · dignitatem · iuraq. pristina · restitutum · est
brephotrophii · eiusdem · ministri · et · alumni
Deo · immortali
humanarum · vicissitudinum · potenti
solemnia · gratiarum · et · vota
uti · volens · propitius
diu · sospitet · dominum · benignissimum
cuius · incolumitas
cum · communi · incolumitate · coniuncta · est.

VII.

Exposita ad Aed. Valetudinarii bonifaciani, et typis impressa.

Deo · pro · hominibus · immolato
quod
Pio · VII. Pontifice · Maximo
constantissimo · invictissimo
sedi · suae · qua · ferocissime · fuerat · avulsus
restituto
religio · incolumis · est
M. D. Ferdinando · III. Austriaco
Etruriae · reddito ·
civibus · pater · litteris · artibus · patronus
redditur
foederataq. fortissimorum · Europae · principum
pace
pars · haec · orbis · pulcherrima
non · modo · a · belli · calamitatibus
sed · a · formidine · quoque · earum
quam · diutissime · in · posterum · liberatur
Curiones · et · presbyteri · huius · aedis
suscepta · vota · persolvunt
aere · proprio · et · collaticio
praesertim · collegii · medicorum
valetudinarii · bonifaciani
ministrorumq. primorum · eiusdem
et · valetudinarii · S. M. Novae.

VIII.

Exposita in fronte aedis Aegidii et juris publici facta.

Deo · pro · hominibus · hostiae
quod · strenuitate · exercituum · foederatorum

Europa · a · bello · diuturno · et · lacrimis
tandem · requiescit
Pius · VII. Pontifex · maximus
post · edita · constantiae · singularis · exempla
ingenti · totius · rei · christianae
et · gaudio · et · bono
e · carcere · exsolvitur · ab · exilio · reducitur
Ferdinandus · III. Austr.
optimus · princeps
ad · laeta · faustaque · omnia · revocanda
in · Etruriam · revertitur
Societas · civium · unanimitate · collecta
quae · prosperum · rerum · impeditissimarum
exitum
semper · in · votis · habuit
et speravit · futurum
sed · tam · mirum · et · subitum
nec · ominari · scivit · nec · esset · ausa
pares · tanto beneficio · gratias
persolvere · impotens
eas · quas · potest · fervidissimas · agit.

CAPUT III.

SOLEMNES PRINCIPUM ADVENTUS ET LOCA HOSPITIO AUT ACCESSIONE EORUM DECORATA.

I.

Florentiae collocanda in vico omnium Sanctorum ad aedes Viridarii nob. viri Leopoldi Ricasoli.

Anno · M. DCCC. XV.
Pius · VII. Pontifex · Maximus
Roma · ob · bellum · coortum · profugus

Genuam · secessurus
VIII. K. april. ad · urbem · nostram · advenit
posteroque · die · Christo · resurgenti · sacro
confertissimum · populum
ingentes · et · continuas · pontificatus · ejus
aerumnas · collacrymantem
de · maeniano · aulae · precatione · lustravit
fusoque · celerrime
a · Legionibus Austriacis · Italicisque
exercitu · Ioachimi · Napoleonis
eoq. ad · totius · Italiae · bonum
e · regno · Neapolitano · eiecto
idem · summus · Antistes · Romam · repetiturus
Florentiam · cunctis · ordinibus · laetitia · elatis
IV. K. iun. iterato · intravit
heic · de · vico · omnium · Sanctorum
ad · Mariae · Novellae . iter · deflexit
indictaeque · ibidem · supplicationi · interfuit
et · kalendis · eiusdem · mensis
pompam · qua · Sacramentum · augustum
circum · aedem · principem · ferebatur
spectantibus · civitatis
et · suburbiorum · incolis · fere · universis
cum · cereo · funali · subsequutus · est
quarum · rerum · ne · aetas · aboleret . memoriam
Leopoldus · Ricasolus · Zanchinius · Marsuppinius
qui · iussu · Ferdinandi · III.
religiosissimi · Principis
magnum · Sacerdotem
in · Tusciam · regredientem · excepit
ad · alteros · fines · deduxit
eiq. Florentiae · breviter · hospitanti
a · cubiculo · fuit
tabulam · cum · inscriptione · marmoream · p. c.

II.

Florentiae in Coenobio quod fuit Sanctimonialium ord. S. Dominici ad Catharinae.

Honori
Pii · VII. Pontificis · maximi
parentis · optimi
reiq. christianae · tutoris · providentissimi
Collegium · Sororum · de · ordine · S. Dominici
ad · Catharinae · an. M. DCCC. V.
in · memoriam · nonarum · maiarum
quo · die
quum · ex · Gallia · redux
Florentiae · hospitaretur
domum · hanc
M. Aloisia · Etr. Regina · comitante · introgressus
virgines · earumq. consanguineos
et · notos · gestientes
ad · osculum · pedis · admisit
Catharinae · Aloisiae · Popoleschiae · aegrotanti
manum · osculandam · porrexit
eandemque · blando · adloquio
solatus · est.

III.

Finalii in parte postica aedium Marcelli Grillenzonii.

Anno · M. DCCC. XIV.
quum · Franciscus · IV.
Mut. Regii · Lepidi · et · Mirand. dux
a · foederatis · principibus · in · avitam · ditionem
restitutus
urbem · nostram

conctis · ordinibus · plaudentibus · advenit
praesertim . pericula ipsius
ex · influentibus . circumfluentibusque
Panari · aquis
pro · sua · providentia · inspecturus
in · hisce Marcelli · Grillenzonii · aedibus
cum · Archid. Maximiliano · fratre
ab · die · vi. id. ad · d. iv. id. Septembr.
se · hospitio · epulisq. excipi · dignatus · est
iisdemque
Princeps · optimus · indulgentissimusque
quotiescumque · Finalium · accederet
pro · mansione · usurum · spopondit
fidemq suam · Camposancti
quo · Grillenzonius · obsequii · observantiaeque
caussa
hospites · magnos · comitatus · est
multis · audientibus · iterato · obligavit
atque · ad · domum · novo · decore · augendam
insigne · suum
marmorq. facti · monimentum
poni · benigne · permisit.

IV.

Marmor in fronte Praetorii Capponiorum
alla Pietra.

Honori
Ferdinandi · iii. Archid. Austr.
qui · ad · veterem · Etruriae · dominationem
redux
in · hoc · Capponiae · gentis · praetorio
xv. Kal. octobr. an. M. DCCC. XIV.
tantisper · substitit
dum · rhedae · itinerariae

regalis · substitueretur
qua · urbem · principem
inter · communes · plausus
et · gaudii · lacrimas · introiret
herisq. ob · faustitatem · eventus
dignitatemq. sibi · locoque ab · hospite · magno
impertitam · laetitia · elatis
pristinam · benevolentiam · comitate · alloquii
gratique · animi · significatione · declaravit
Marchio · Petrus · Robertus · Capponius
marmor · p.
ad · memoriam · facti · postgenitis · omnibus
tradendam.

CAPUT IV.

VULTUS HOMINUM SANCTITATE, DOCTRINA, ALIAQ. LAUDE INSIGNIUM.

I.

In tabulario Capituli aedis Metropolitanae Flor.

Imaginem · Antonini · Archiepiscopi · Flor.
in · ipso · sanctissimi · antistitis · vultu
post · obitum · eius · effictam
Hannibal · Thomasius · et · Ignatius · Paur
Canonici · aedis · Metropolitanae
censusq. collegii · curatores · biennales
ex · pontificalibus · aedibus
huc · transferendam · curarunt
AN. M. DCCC. XI.

II.

In effigiem gypseam Aloisii Lanzi v. c.
a Iosepho Bellio probe elaboratam.

Ἐικὼν τοῦ Λανζοῦ· ποιήσατο δ' εἰκόνα Βελλὸς,
Βελλὸς τῆς τέχνης τέρματ' ἐφαψάμενος.
Μὴ ζητεῖ γοῦν, παμπήδην εἰ ἔστιν ὁμοία
Καί γε νόου βλέψεις γλαπτομένην σοφίαν,
Ἣι Λανζὸν κόσμησε Θεὸς, τόσσην τε παρέσχεν,
Ὅσση ἂν ἐλλογίμους δώδεκα ἐκτέλεοι.

Effigies est Lanzii; fecit autem effigiem Bellius,
Bellius qui attigit terminos artis.
Ne quaeras igitur an sit omnino iconica,
Quinimmo videbis sculptam sapientiam,
Qua Deus ornavit Lanzium, tantamque ei praebuit
Quanta perficeret duodecim eruditos.

III.

In eandem · Alluditur ad situm eius inter Herculem et Martem, sigilla e gypso praestantissima ex aeneis antiquis effecta.

Hesperidum gaudens pomis Tirynthius heros
Ad laevam; parma, galeaque insignis et ense
Ad dextram Mavors; medium se Lanzius effert,
Qui magis ingenio pollet; quam robore uterque.

IV.

Flor. ad S. Felicit. sub effig. Cosmae Contii.

Cosmae · Contio · Florentino
huius · aedis · per · annos · x. presbytero · priori
viro · prisci · instituti

quem · candidi · mores · pietas · doctrina
ornaverunt
Antonius · Marianus · Frosalius · curio · minor
benemerentissimo · pon. cur. an. M. DCCC. X.
ob · curiam · disertis · concionibus · eruditam
exemplisq. sanctissimis · auctam
et · cultum · Cordis · Iesu · et Gabrielis · Archangeli
heic · opera · eius · instanti · et · saluberrima
amplificatum.

V.

Ad effig. celebris viri Raph. Morghen a Nicolào Palmerinio Genuensi probe scalptam.

Raphaeli · Morghen
scalptori · aere · lineando . imprimendo
novarum · artis · elegantiarum · repertori
Nicolaus · Palmerinius
effigiem · eius · ab · se · ut · ingenii · sivit · exiguitas
expressam
magistro · et · patrono
in · grati · animi · significationem
d. d.

VI.

Ad effig. Iosephi Barnii, quae est infixa moenibus urbis externis prope portam a Pinti.

Iosephus · Barnius · Petiolensis
vir · in · iaetando · repercutiendoque · folle
singularis
qui · ob · robur · ingens

VI. v. 2. in iactando etc. *nel battere e ribattere il pallone.*

maximamq. artis · peritiam
et · collusores · ubique · devictos
terraemotus · formidabili · cognomento · dictus est.

CAPUT V.

INSCRIPTIONES MISCELLANEAE.

I.

V. Ephemeridas tuscas 5. *Septembr. an.* 1801.

Moderationi
Ludovici · regis · d. n. indulgentissimi
qui · cum · Etruriam · vitio · temporum · superiorum
partibus · et · discordiis · actam
sub · imperium · accepisset
lege · interposita · saluberrima
ne · ulla · unquam · rerum · praeteritarum
fieret · mentio
in · pristinum · habitum · revocavit
pacis · publicae · fautores · adplaudebant.

II.

Vid. Ephemerid. tusc. an. 1803. 27. *Augusti*.

VII. xal. Septembr. an. M. DCCC. III.
ad · solis · obitum
certamen · bigarum · urbi · exhilarandae
ad · caveam · S. Mariae · Novellae
pegmata · nitrati · sulphuratique · pulveris
ad · fori · turrim · prima · vigilia · incenduntur
tonitrus · tormentorum · ab · arce · fiunt

II. v. 3. certamen etc. *Il palio dei cocchi*.
v. 5. pegmata etc. *Fuochi d' artifizio*.
v. 6. prima vigilia. *All' un' ora di notte*.

VIII. kal. Septembr. feriae
quod · eo · die · ad · horam · nonam
Senatus · omnesq. ordines · sacramentum · dicunt
apud · Carolum · Ludovicum · regem · nostrum
se · in · fide · eius futuros
pecunia · publica · panis · populo · distribuitur
per · tesseruias · frumentarias · a · curionibus
viritim · datas
pueri · c. et · totidem · puellae
ex · omnibus · curiis · urbis · sorte · ductae
vestiuntur · epulantur · in · porticu · Helvetiorum
scutatoque · nummo · per · capita · donantur ·
ad · solis · obitum
equorum · certamen · in · hippodromo · fit
quod. v. kal. Septembr. redintegrabitur.
Ne · cui · vestes · nigras · gestare · liceto
omnia · laeta · sint · et · plausu · sonent
primordia · enim · haec · felicitatis · mansurae.

III.

In fronte villae Gianfigliactiorum in agro Marignoile.

Villam · hanc · vetustate · corruptam
Elisabetha · Gianfigliactia
Io. Baptistae · Verdii · uxor · instauravit
adauctisque · conclavibus · opportuniorem
reddidit · anno · M. DCCC. III.

IV.

Hanc et sequentem inscriptionem misi coniugibus Capponiis cum libello a me eorum nuptiis celebrandis edito: L' Edipo principe di Sofocle trad. da Bernardo Segni.

Gino · Capponio
qui · lustro · aetatis · IV. nedum · expleto
spes · quae · de · eo · nunc · deberent · concipi
iam · longissime · superavit
Ioannes · Baptista . Zannonius
amico · et · patrono
nuptias · auspicatissimas · gratulatur.

V. (1)

Iuliae · Riccardiae
puellaae · optimae
optimo · inveni · bono · cum . omine · nupturae
Io. Baptista · Zannonius
adplaudebat.

VI.

In aedibus nobil. v. Leopoldi Ricasoli:
sub nomismate Pii VII.

Siste · hospes · et · animum · mihi · advertito.
Sum · nomisma · Pii · VII. P. M.
meque · ipse
Leopoldo · Ricasolo · Zanchinio · Marsuppinio

(1) Quam fluxa et caduca res est humana vita! cui proxime nupturae adplaudebam XVIII. K. octobr an. 1811. eidem triennio vix elapso titulum scripsi. V. caput X. n. 16.

donum · dedit
mense · maio · an. M. DCCC. XV.
quum · hic · Antistiti · summo · in · Tusciam · iterum
introeunti
Romam · bello · confestim · sublato · reversuro
Legatus · a · Ferdinando · III. M. D.
obviam · est · missus
et · apud · eundem
toto · triduo · quo · Florentiae · substitit
cubicularii · munere · functus
hinc · digredientem
ad · fines · usque · reverentissimus · comitatus · est.
Si · tu · hospes · audito · nomine · tanti · Pontificis
tecum · ut · censeo · recoluisti
quot · quantaque · ille · pro · Christi · Ecclesia
et · gesserit · et · pertulerit
non · repugnabis · mihi · dum · adfirmo
novum · mei · dominum
putare · quidem · se · esse · dono · valde · honestatum
sed · magis · ad · venerandam · effigiem
quam · exhibeo · excitari
incertumque · in · primis · fuisse · utrum · me · hic
proponeret
an · potius · in · Caelitum · sanctorum · relliquias
insereret.
De · his · a · me · eras · monendus · hospes
me · ergo · reverere · et · si · lubet · abito.

VII.

In aedibus Torellii Marchionnii viri amicissimi.

Ligneae · sumus · faces · binae
quod · autem · artificio · sordemus · obsoleto
atque · ineleganti
ne · quis · ideo · nos · contemnat

aut · igni · det
pretium · etenim · nobis · priscus · impertit · honor
relliquiae · sumus · illius · celsissimi · pegmatis
quo · simulacrum · Ioannis · praecursoris · Christi
per · urbem · quotannis · VIII. x. Iul.
civibus · universis
exterisq. compluribus · ad · hoc · adventantibus
obviam · effusis · et · laetitia · gestientibus
pompa · trahebatur · solemni
dein · ob · Etruriam · in · potestatem · Gallorum
redactam
festo · abrogato
et · pegmate · divendito · disiectoque
Torellus · Marchionnius
nos · ab · emptoribus · dono · habuit
heicque · posuit · et · inscriptionem · addidit
ad · memoriam
veteris · Florentinorum · magnificentiae
posteritati · suae · consignandam ·

VII. v. 7. celsissimi pegmatis. *Carro di S. Giovanni.*

CAPUT VI.

FUNERA

I.

Exposita in fronte Aedis Apostolorum, quae Florentiae est.

Antonio · Iosephi · F. Martinio
pontifici · Florentino
viro · optimo
et · cum · summa · doctrina · pientissimo
cui · Italia
ob · sacram · scripturam · diserte · interpretatam
sensaque · eius · saluberrima
vel · illitteratis · patefacta
plurimum · debet
Antistiti · providentissimo
cuius · adsidua · cura · et · commemorabili
mores · cleri · severiores · effecti
et · ingenia · supra · exempla · veterum
exculta · sunt
solatori · pauperum
quorum · inopiam · sibi · parcus
stipe · largissima · iuvit
Curio · et · presbyteri · ad · Apostolorum
funus · et · lacrimas.

II.

Exposita Florentiae ad Felicitatis.

Antonio · Iosephi · F. Martinio
Archiepiscopo · Florentino
ornamento · aevi · sui · exemplo · posteritatis

qui · acri · ingenio · et doctrina · multiplici · sua
ad · rei · christianae · bonum · conlatis
sacrae · scripturae · libros · interpretandos
suscepit
quod · opus · viginti · annis · absolutum
doctis · omnibus · probavit
eorumque · praeconio · honestatus · est
Curio · et · Presbyteri · qui · aedi · Felicitatis
apparent
Antistiti · optimo · incomparabili
laboribus · maximis · pro · dioecesi · sua · perfuncto
benignitate · in · egenos
et · constantia · in · propositis
domi · forisq. clarissimo
iusta · cum · lacrimis.

III.

Inscriptiones in funere eiusdem commemorabilis antistitis celebrato ab Alumnis Seminarii Florentini in aede S. Frigdiani. In fronte aedium Seminarii titulus fuit.

Antonio · Martinio
Pontifici · Florentino
Tuscorum · sui · temporis · antistitum · doctissimo
qui · collegio · in · fidem · et · clientelam · suscepto
e · veteri · illud · angustaque · sede
in · hanc · ampliorem · studiisq opportuniorem
transtulit
et · saluberrimis · institutis · maximisq. beneficiis
florentissimo · in · statu · collocavit
alumni · moerentes
patrono · providentissimo · exequias.

IV.

In parte antica tumuli honorarii.

Antonio · Martinio
Pontifici · Florentino
qui · collegium
studiorum · ratione · melius · constituta
ad · tantam · litterarum · dignitatem · evexit
ut · Seminarii · ab · se · Florentiolae · excitati
totiusq dioecesis scholas
ad · normam · eius · componi · voluerit
collegiati · iuvenes
praesuli · incomparabili
quem · vivum · hortatorem · virtutis · habuerunt
mortuo · funus · et · lacrimas · dant.

V.

In parte postica.

Non fas est largo suffundere lumina fletu,
Pectora nec nostras plangere ad exequias.
Ille est plorandus, vita qui segniter acta
A nulla nomen posteritate feret.
Ingenii monumenta mei non deteret aetas,
Quae ore nequit livor carpere tabifico.
Ast haec cur memorem? nostrum haud lacrimabile (lethum,
Quod nos aetheriam transtulit in patriam.
Illic tuta quies: sperataque gaudia captat
Conspicuo tandem mens saturata Deo.
Grataque circumstans plausus dat turba piorum,
Per me Caelestum queis patuere domus.
Exemplo et monitis nam, quae malus egerat ardor,
Vertimus ad sanctas devia corda faces.
Discite sacricolae: via vobis haec datur una,
Qua certum ad Superos ferre queatis iter.

VI.

Ad unum latus.

Tutori · collegii
quod · eius · reditus · adiectione · fundorum
amplificaverit
angustiis · effusissima · stipe
subvenerit.

VII.

Ad alterum latus.

Ornatori · aedium
quod · dormitoria · cubicula
adauxerit
conclave · libris · adservandis
ab · inchoato · extruxerit.

VIII.

In funere Laurentii Nannonii viri celeber. habito IX. K. Octobr. an. 1812. *in aede S. Aegidii ad Valetudinar. S. M. Novae. Titulos retulit Philippus Irenicus in diserto libello*: Orazione funerale in lode del Prof. Lorenzo Nannoni.

Laurentio · Nannonio
viro · longe · clarissimo
per · quem · salutaris · chirurgiae · professio
magnos · praesertim · in · Tuscia . profectus · habuit
huius · Valetudinarii · alumni
magistro · optime · de · se · merito
funus · laudationem · et · lacrimas.
Heu · cito · nimis · e · vita · excedis
qui · multis · manu · et · ingenio
vitae . curriculum · produxisti.

IX.

Ad Mausoleum.

Laurentio · Angeli · f. Nannonio
viro · sollertissimi · ingenii · et · bono · humanitatis
nato
qui · chirurgiam · physiologiam · et anatomen
summa · cum · laude · Florentiae · publice docuit
aliisque · muneribus · gnaviter · perfunctus · est
idem · complura · de · arte · sua · scripsit · volumina
eaque · nuperis politiorum · gentium
ad · quas · iter · habuerat · inventis
suisque · probatissimis illustravit
morbos · vel · senescentes · desperatosque
strenuitate · manus · instantia
et · simplicissimis · curationibus · depulit
valetudinarii · huius · alumni · moerentes
magistro · incomparabili
domi · forisq. laudatissimo
iusta · persolvunt.

X.

In funere Vincentii Savaresii Flor. habito in aede S. Mariae del Carmine, *quae fuit Carmelitarum calceatorum, XIII. Kal. ma. an.* 1814.

Ad portam aedis.

Vincentio · Aloisii · f. Savaresio
domo · Neapoli · gente · patricia
consilio · Regis · utriusque · Siciliae
ad · usum · publicorum · munerum · percipiendum
adsessori

X. v. 4. 5. ad usum etc. *Auditore al consiglio di Stato.*

iuveni · pientissimo
humanitatis · severiorumq. disciplinarum · studiis
probe . erudito
atque · ob · dulcem · spectatamque · indolem
suis · et · notis · carissimo
qui · lustro · aetatis · IV. nedum · condito
Florentiae · obiit · XIV. K. mai. an. M. DCCC. XIV.
consanguinei · et · amici · b. m. iusta · persolvunt.

XI.

In parte antica tumuli, supra quem erat cadaver.

Vincentio · Savaresio
rebus · humanis
in · flore · aetatis · erepto
consanguinei · et · amici
funus · et · lacrimas:

XII.

In parte postica.

Nec generi parcit fera Mors, nec computat annos;
Omnia at infensa demetit illa manu.

XIII.

Ad dextrum latus.

Vincenti · moriens
quantam · patriae · tuae
spem · praecidisti!

XIV.

Ad sinistrum latus.

Te . pereunte
cuncta · simul · domus · tuae
gaudia · perierunt.

CAPUT VII.

PERGAMENAE CUM MORTUIS CONDITAE.

I.

Florentiae in tumulo gentis Ugoliniae ad Theresiae.

A ☧ Ω

Memoriae · et · cineribus
Ioannis · Georgii · Ugolinii

Hic · Florentiae · ortus · pridie · kal. Septembr. an. M. DCC. XXIII. genere · splendidissimo · patrem habuit · Barptolomaeum · Ugolinium · matrem Camillam · Baldovinectam · quibus · liberaliter et · pie · educatus · firmatusque · exemplis · eorum sanctissimis · de · virtutibus · quae · christianum decent · virum · nihil · unquam · remisit · Annos natus · XXVI. Rosanam · Covoniam · clarissimam feminam · uxorem · duxit · post · cuius · excessum sacerdos · inauguratus · impensius · religionis explevit · officia · Decess. x. kal. mart. an. M. DCCC. VII. bonis . omnibus · moeror · et praecipue · Francisco · f. equiti · Stephaniano · qui patris · incomparabilis · et · optime · de · se · meriti nomen · hoc · titulo · posteritati · commendatum voluit.

Ave · senex · pientisime · et · vale · in · pace.

II.

In tumulo Aloisii Lanzii v. cl. in aede S. Crucis quae Flor. est. Titulus editus a Carlio et a compluribus recusus.

A ☧ Ω

Memoriae · et · cineribus
Aloisii · Caietani · f. Lanzii · v. c.

Hic · natus · Montulmi · Piceni · vico · id. iun. ad. M. DCC. XXXII. puerulus · Iesuitis · traditur erudiendus · Brevi · tales · habuit · humanioribus in · litteris · processus · ut · spes · laetissimas · de se · excitatas · longissime · superaverit · In · eorum societatem · X. K. novembr. an. M. DCC. XLIX. cooptatus · severiores · disciplinas · theologiam dogmaticam · et · eam · quae · de · moribus · est pari · hausit · felicitate · ob · versatile · ingenium quo · ad · illud . unum · quodcumque · ageret videretur · natus.

Romae · et · Senis · rhetoricam · docuit · tanto utrobique · cum · plausu · ut · de · eius · laudibus omnium · tunc · esset · fama · consentiens · Multa prosa · oratione · diserte · scripsit · et · complura condidit · carmina · elegantissima · inter · quae maxime · commemorandae · sunt · versiones italicae Catulli · et · Theocriti · utraque · inedita · atque operum · et · dierum · Hesiodi · quae · notis doctissimis · adornata · Florentiae · an. M. DCCC. VIII. vulgata · est.

Societate · Iesu · cum · ceteris · sodalibus exsolutus · subpraefectus · museo · Florentino · a Petro · Leopoldo · M. E. D. datus · est · Hinc gloriae · suae · cursum · orsus · est · sempiternum ·

Priscae · aetatis · reliquias · quae · in · Italia adservantur · fere · universas · invisit · eas · libellis quos · ad · Scipionis · Maffeii · viri · eruditissimi normam · sibi · paraverat · ordine · alphabetico descripsit · in · eosdemque · retulit · et · quae ab · antiquitatum · explanatoribus · bene · essent observata · et · selectiora · sibiq. opportuniora loca · scriptorum · veterum · quos · longo · usu memoria · tenebat · firmissima . His · copiis instructus · et · ad · magna · compositus · in Etruscorum · aliorumque · antiquae · Italiae incolarum · linguas · curam · omnem · intendit Alphabetum · a · Gorio · traditum · emendavit grammaticam · primus · institoit · graeca · latinaque lingua · certissimis · ducibus · omnia · ferme explicavit . Ob · quod · opus · cunctis · retro desperatum · ab · eoque · ingenti · ausu · coeptum et · prospero · exitu · absolutum · in · maximam Italorum · exterorumque . admirationem · venit in · ordinem · splendidissimum · Eugubinorum adscitus · et · interpres · Veterum · monumentorum a · Petro · Leopoldo · Principe · dictus · est.

Verum · ut · plenius · de · Italia · mereretur sollertissimum · ingenium · suum · ad · eius · picturam convertit · Tabulas · celebriores · susceptis · ad hoc · itineribus · oculis · eruditissimis · inspexit scriptores · qui · pictorum · vitas · memoriae mandarunt · universos · legit · ex · his · quod animi · esset · excerpsit · historiam · presso · stilo et elegantissimo · contexuit · in · qua · multa correxit · multa · protulit · nova · pictores · ipsos in · scholas · digessit · et · ΕΠΟΧΑΣ · ad · artis profectus · decrementaque · indicanda · constituit. Haec · iterum · et · tertio · locupletior · prodiit eruditorum · praeconiis · celebrata.

Inscriptiones · suas · antiquis · proximas · quas viris · doctis · singillatim probaverat · collectas publicavit · Libellum · scripsit · de · veterum vasculis · quo · potissimum · Bacchi · assectarumque eius · fabulas · in · illis · crebro · depictas · verissime declaravit · aliaque · complura · ad · rem litterariam · Ethnicorumque · mores · pertinentia quae · vel · seorsim · sunt · edita · vel · ephemerid. consignata · sunt · vel · luce · adhuc · carent publica.

Eum · Academia · Furfureorum · cui · providentia Imperat · Napoleonis · d. n. instauratae · praefuit ceteraeque · per · Europam · illustriores · inter sodales · suos · adlegerunt.

Amicitias · coluit · diligentissime · comitate et · affabilitate · sermonis · omnium · animos sibi conciliavit · Viros · eruditos · vel · voce · vel epistolis · iuvit · ingeniosos · iuvenes · ad studia humanitatis excitavit · ita · tamen · ut · eis · et pietatem · instillaret . Hac · vehementissime inflammatus · opuscula · de · religione · cordis · Iesu et · Deiparae · de · Eucharistia · et · novendiali in · honorem · Iosephi · Mariae · sponsi supplicatione · exaravit · et · de · Christi · in homines · caritate · deque · Superum · gaudiis saepissime · obortisque · interdum · prae · animi commotione · lacrimis . loquebatur · Virtutum denique · omnium · clarissimis · editis · exemplis aegro · corpore · fatigatus · repentino · ictu apoplexis · in · quam · fuerat · implicitus · diem obiit · supremum · pridie · kal. Aprilis · an. M. DCCC. X.

Ave · senex · optime · incomparabilis

Quod · rei · antiquariae · terminos · quam

latissime · propagasti · aequales · te · suspexerunt posteritas · commendabit · quodque · ita · vixisti ut · si · esses · quotidie · moriturus · e · mundo tanquam · ex · hospitio · migrasti · et · semel animorum · concilio · receptus · sede · piorum aeternum · frueris ·

III.

In tumulo viri cl. Thomae Puccinii ad aedem Borgianici prope Pistor. Inscriptio prodiit Florentiae.

A ☧ Ω

Cineres
Thomae · Dominici · f. Puccinii v. c.
cubicularii · Elisae · Aug. sororis · M. E. D.

Hic · Pistorii · ortus · v. kal. apriles · an. M. DCC. XLIX. generis · nobilitatem · solertiamq. ingenii · virtutum · clarissimarum · laude cumulavit. Ab · ineunte · pueritia · in · collegio patriae · suae · ad · pietatem et · litteras informatus · magnam · fecit · spem · se · et civem optimum · et · virum · doctissimum · evasurum Adolescens. Pisas · missus · ad · quadriennes pro · iurisprudentiae · laurea · exercitationes Iosephi · Paribenii · municipis · sui · eruditissimi itemque · doctoris · decurialis · pontificio · iuri interpretando · consuetudine · usus · est · quo duce · ad · Scriptorum · veterum · latinorum · artem penitiorem · elegantiasque · omnes · percipiendas mentem · se · maxime · acuisse · fatebatur Florentiae · ad · forensem · usum · instructus

Romam · petiit · ibidemque · XII. viris · causis cognoscendis · adiutor · a · secreto · datus · est ad · cuius · muneris · temperandam · severitatem coetus · hominum · litteratorum magistrorum que artium · optimarum · quos · undique · collectos urbs · aeterna · semper · habuit · insignissimos frequens · iniit · eorumq. sermonibus · erudiebatur ipseque · suis · eos · erudiebat.

Florentiam · a · Ferdinando · III. M. E. D. accitus · et · Musei · Florentini · praefectus · dictus eius · opes · ingentes · novo · ordine · digessit gemmas · eximii · operis · verius · descripsit familiaritatemq. qua · ab · optimo · principe decorabatur · ad · illud · ditandum · magis · unice convertit. Sed · quam · diligenti · cura · quantaque constantia · omnes · honoris · huius · expleverit partes · illud · vel · maxime · declarat · quod temporibus · difficillimis · ingruentibus · pretiosiorem musei · gazam · partim · secretissimo · loco · paucis iisque · fidelissimis · adhibitis · consciis · occuluerit partim · Panormum · usque · ingenti · incommodo suo · famaeque · etiam · discrimine · asportaverit.

Scriba · fuit · Academiae · picturae · sculpt. archit. in · ejusque · binis · triennalibus certaminibus · orationes · publice · habuit · quae multo · cum · doctorum · plausu · vulgatae · sunt Coenobitarum · ordinibus · per · Etruriam · dissolutis consilio · praestantioribus · eorundem · veteris recentiorisq. artificii · monumentis · librisq. in · publicum · commodum · seligendis · praefuit et · Florentina · Academia · in · tres · Societates distributa · ei · quae · a · graphice · nomen · habuit praepositus · est. Aliis · praeterea · a · principibus Tusciae · procurationibus · honoratus · est · alias petitu · amicorum · suscepit · quas · omnes · fide summa · abstinentiaque · gessit · commemorabili.

Carmina · scripsit · Latine · et · Italice venustissima · in · quibus · eminet · maxime Catulli · versio · cuius · specimina · in · publicum · iam prodierunt (1) compluraque · oratione · continua exaravit · opuscula · queis · praecipue · artes optimae · illustrantur. His · omnino · videbatur natus · picturis · praesertim · linearibus · ex aerea · lamina · charta impressis · ad · quas · ita oculos · habebat · eruditos · ut · in · hoc · ei · se aequassent · pauci · praetulisset · nemo.

Nil · unquam · remisse · egit · sed · ad · omnia animum · conatu · vehementissimo · intendit moribusque · ita · erat · candidis · ut · quod sentiret · libere · semper · efferret. Idem · disertus propositi · tenax · iustitiae · in · exemplum adsertor · adfectionis · plenus · erga · suos amicosque · et · notos · universos · in · egenos benignus · in · Deum · et Superos · pientissimus Molestum · morbum · violentissimumque · religione et · conscientia · recte · factorum · sustentatus patientissime · toleravit · diemq. explevit supremum · id. mart. an. M. DCCC. XI. Funus eius · honestatum · est · luctu · bonorum · omnium qui · in · eo · laudando · consenserunt praedicaruntq virum · optimum · incomparabilem aliorum · magis · quam · suis · commodis · factum obiisse.

Ave · in · perpetuum · dulcis · anima · et · vale.

(1) Pisis prodiit versio integra hoc eodem anno. Editio est splendidissima dicaturque ab Iosepho Puccinio Thomae fratre Domino nostro Ferdinando III. cui certe Thomas ipse consecratam voluisset.

IV.

Ellogium Eleonorae del Pace conditum cum eius corpore in Sacello villae Billiorum prope Faesul.

A ☧ · Ω

Hoic · condita · est
Eleonora · Nicolai · f. del · Pace
optima · femina

Haec · ortum · habuit · Florentiae · ineunte an. M. DCC. XXXIX. statimq. a · parva · virgine laetissimam · indolem · candore · animi · et · morum sanctitate · commendavit. Anno · M. DCC. LVII. inter · virgines · Franciscanas · ordin. minor. Capuccin. Coenobii · Tifernatum · fuit · adlecta eiq. M. Franciscae · nomen · inditum · est. Ibidem per · XXIV. continuos · annos · queis · aut · collegio praefuit · aut · eius · quae · praesidebat · vices egit · curationis · onus · perpetuo · tulit · illique adeo · se · ostendit · parem · ut · nec · eam difficultates · impedierint · nec · inopini · casus aut · temporum · saevitia · a · constantia · et robore · animi · deturbaverint. Quarum · rerum documenta · extant · satis · insignia · et posteritati · tradenda. Ut · Veronica · Iuliana Tifernas · collegii · eiusdem · virgo · sanctitate et · ostentis · illustris · Caelitibus · insereretur omni · studuit · nisu · curae · socio · Florido Pierleonio · Pontifice · Aculensi · qui · et · causam postulavit. Quum · ingentis · terraemotus · violentia coenobio · labes · fecisset · sua · effecit · sedulitate et · instantia · ut · quam · citissime · piorum stipe · in · pristinam · faciem · restitueretur

Populantibus · urbem · militibus · Gallis · ipsisque dum · se · collegii · virgines · paupertate · satis crederent · tutas · sacras · aedes · insperato · ad direptionem · ingressis · quod · falsus · pervaserat rumor · Tifernates locupletiores · thesauros · suos ibidem · tempestate · imminente · recondidisse illis · praeiens · impavida · loca · etiam · aperuit secretiora. Quumque · iidem · quod · spe · essent frustrati · in · obvia · quaeque · saevirent sanctimonialibus · grandi · metu · perculsis · animos addidit · sublataque · procella · ad · ea · quae feroces · manus · erant · passa · aut · reficiunda aut · instauranda · curam. omnem · intendit. Coctibus · religiosis · per · pontificiam · ditionem an. M. DCCC. X. deletis · sanctimoniales · suas palantes · consilio · omnes · iuvit · calamitosas stipe · collaticia · solata · est. Tandem · vitae exercitae · laboribus · fessa · morbisq. in · quos complures · saevissimosq. incidit · domita placidissimo · excessu · diem · obiit · supremum prid. non. ianuar. an. M. DCCC. XII.

Animo · fuit · demisso · eoque · sollerti · et nunquam · titubante · in · agendis. Vixit · in · Deum et · Caelites · pientissima · adfectionis · plena · erga notos · ignotosq. ob · quae · praeclara · merita omnibus · se · probavit · optimatibus · praesertim et · viris · Principibus · qui · eam · etiam · missis epistolis · honestarunt.

Salve · femina · incomparabilis · salve · sorori tuae · quae · te · maxime · dilexit · viventem cuiusq. in · pectore · facta · dictaque. semper haerebunt · tua · ad · animi · effigiem · tui · melius quam · oris · memoria · perpetua · recolendam.

V.

Florentiae in sepulcro Mazzinghiorum ad M. Novellae.

Α ☧ Ω

Cineres
Iosephae · Mathildis · Mazzinghiae

Haec · Florentiae · orta · v. id. octobr. an. M. DCC. XXXVII. genere · utrinque · patricio · Aloisium Mazzinghium · et · Theresiam · Arnaldiam · parentes habuit · statimque · a · teneris · unguiculis · rerum humanarum · contemptrix · caelestibus · inhians inter · virgines · Dominicianas · coenobii · cui ab · parva · cruce · nomen · fuit · VIII. K. febr. an. M DCC. LV. adlegi · voluit · ibidemq. Victoria Felix . vocata · est . Collegii · muneribus · per gradus · functa · eiusq. praefectura · bis · aucta sibi · perpetuo · rigidissima · sororibus · facilitate severitatem · temperavit · eidemq. prudentia · et disciplinae · pietatisque · studio · ceterarumq. virtutum · ornamento · exemplar · se · praebuit. In · phthisim · implicita · morbum · patientissime ad · anni · dimidium · pertulit · mortemq. inter sanctimonialium · suarum · lacrimas · lubens · laeta oppetiit · VII. K. april. an. M. DCCC. VII. Coenobiis per · Etruriam · deletis · Tedix · Mazzinghius venia · impetrata · sororis · desideratissimae cineres · in · hoc · gentile · conditorium transferendos · curavit · VIII. K. Septembr. an. M. DCCC. XIII. memoriamque · dulcissimae · animae ellogio · commendatam · posteritati · voluit.

VI.

In conditorio Io Dominici Baldovinecti ad Sacellum eius avitum quod est Marte dioeces. S. Miniatis.

I · X · Θ · Υ · Σ

Ioannes · Dominicus
Francisci · ex · M. Anna · Bocchineria · f. de · Podio
Baldovinectus

Hic · splendidissimo · vetustissimoq. genere Florentiae · ortus · v. non · octobr. an. M.DCC.LXXVIII. inde · a · puerulo · studii · se · et · pietatis docilem · praebuit · institutumq. vitae laudabiliter incoeptae · uno . perpetuoq. tenore · servavit. Decennis · Parmam · missus · in · perillustri · eius urbis · collegio · eruditus · est · ex · eoque · in Mutinense · translatus · ibi · humaniorum litterarum · et · philosophiae · curriculum feliciter · absolvit · Anno · M. DCC. XCVII. Florentiam redit · et · quamvis · ex · ephebis iam · excessisset · tamen · volens · desiderio parentis · optimi · satisfacere · Pisas · se · contulit ut · quadrienni · exercitatione · inter iurisconsultos cooptaretur · Sed · Tuscia biennio · post · sub imperium · Reipublicae · Gallorum · redacta sacrisq. et · profanis · omnibus · misceri · coeptis re · infecta · in · patriam · tanquam ·· in asylum · confugeret reversus · est. Otii · ut erat · inimicus · magisq. in · dies · discendi cupidus · tunc · se · totum · disciplinis · severioribus tradidit · physicae · praesertim · chimiae · et astronomiae . Hanc · quam · probe · calleret

testis · est · sciothericon · ad · eius · praescripta exactissime · confectum · domique · situm · in conclavi · prope · bibliothecam · avitam · quam Caroli · Dati · scriptoris · ob · rerum · copiam · et stili · elegantiam · celeberrimi · operibus autographis · insignem · omni · cura · diligentiaq. servavit . Medicinae · quoque · et · scientiae pharmacorum · incubuit · et · musica · per · otium oblectatus · est · cuius · ita · fuit · compos · ut · inter lyristas · argutissimos · iure · optimo · adnumeraretur IX. kal. dec. a. M. DCCC. III. Alphonsinam · Octavii Landii · causarum · patroni · doctissimi · disertissimi integerrimi · filiam · uxorem · duxit · ab · eaque feminini · sexus · trina · sobole · et · filiolo auctus · hunc · domus · suae · spem · sibi · fato acerbissimo · ereptum · doluit · nimiumq. propero funere · ipse sequutus · est · X. kal. mart. an. M. DCCC. XIV. Patrisfamilias · diligentissimi · partes implevit · omnes · bonorum · amicitias · coluit large · inopes · iuvit · ob · quae · merita · et · ea quae · supra · scripta · sunt · suos · notosque immature · obiens · moerore · affecit concordissimam · coniugem · externavit · quae ab · eo · utero · gravis · relicta · utinam · pariat marem · in · sui · doloris · solatium · et · ad nobilissimae · gentis · nomen · ulterius propagandum.

CAPUT VIII.

EPITAPHIA SACERDOTUM

I.

In sacello gentis Boniae quod est Vici in agro Mucellano.

A ☧ Ω

Laurentio · Io. Baptistae · f. Bono
sacerdoti
viro · indolis · festivissimae
qui · aliorum · commoda
suis · perpetuo · praetulit
pius · vixit · an. p. m. LXVII.
mortem · laetissime · oppetiit
an. M. DCCC. VI.
Franciscus · Pascalis · Bonus · Basil. Laur. can.
patruo · b. m fecit.

II.

Flor. in aede S. Crucis ad cenotaphium magni viri Aloisii Lanzii, cuius cadaver sub ipso cenotaphio conditum est. Edidit vir eruditus atq. amicissimus Dominicus Morenius in Memoria intorno al risorgimento delle belle Arti in Toscana *Fir.* 1812 *p.* 66. *et celebr. Onuphrius Bonus praefectus operibus publicis per Etruriam extruendis instaurandis in laudatissimo opere:* Elogio dell' ab. D Luigi Lanzi, *pag.* 290.

A ☧ Ω

Aloisio · Caietani · f. Lanzio
domo · monte · ulmi · in · agro · Piceno

Decurioni · Eugubino · sodali · societatis · Iesu
Praefecto · museo · Fiorentino · illustrando
comi · suavissimoque · viro · et · cum · summa
in · litteris · auctoritate modestissimo
qui · Etruscorum · monumentis · interpretatis
et · picturae · Italicae · historia ab instauratione
artium optimarum · condita
aliisq compluribus · editis · voluminibus
celebriorum · sui · temporis · eruditorum gloriam
ingenio · et · doctrina · adsecutus · est
stili · perspicuitate · et elegantia · omnium
iudicio · superavit
sacerdoti · castissimo
cuius · in · Deum · et · Caelites · pietatem
praeclara · de · rebus · sacris · vulgata · opuscula
posteritati · commendant
ob · ex · apoplexi · prid. K. April. an. M. DCCC. X.
aet. s. LXXVII. m. IX. d. XXII.
Onuphrius · Bonus · ex · stipe · amicorum
et · heredis
et · sua · f. c.

III.

Titulus in aede S. Francisci de Paula prope Flor.

A ☧ Ω

Francisco
Iacobi · et · Irenes · Magnelliae · f. Tanio
viro · optimo · pientissimo
severitate · morum · et · benignitate · in egenos
praestanti
qui · an. aet. suae · XXIX · clericus · factus
indeq. sacerdos · beneficiarius · aedis

Metropolitanae · Flor. dictus
amore · erga · Christi · Ecclesiam · flagravit
singulari
vix. an· xxxiii· obiit · suorum · notorumq· luctus
iii. non. april. an· m. dccc. ix.
fecerunt · Sigismundus · et · Carolus · Tanii
fratri · concordissimo
eumque · iam · compositum · in · conditorio
sodalium · hebdomaticorum · sodalitii
Misericordiae
inter · quos · erat · adlectus
huc · transferendum · curarunt · die · ab · excessu
eius · xix · ex · indulgentia
Antonii · Martinii · Pontif. maioris · Florentinorum.

IV.

In aede principe montis Alcini.

A ☧ Ω

Iosepho · Bernardino
Ioannis · Fausti · f. Peccio · Senensi
viro · integerrimo
maioribus · suis · doctrina · et · pietate · insignibus
dignissimo
qui · inter · monachos · olivetanos · adlectus
muneribus · omnibus · per · gradus
ad · summam · usque · ordinis · praefecturam
sedulo · sanctissimeq· functus · est

III. v. 17. sodal. hebdomat. *Giornanti*. Singulis adsignata est certa dies cuiusque hebdomadis, qua adparere debent sodalitati et deferre, vicissim succollantes, in lecticis infirmos ad valetudinaria.

et · monitis · exemplisque
sodales · in · officio · et · disciplina · firmavit
Idem · Pontifex · Ilcinensis · factus
in · dioecesis · suae · cura · bonoque totus · fuit
eam · septies · aviis · itineribus · obivit
contubernium · clericis instituendis aperuit
digniores perpetuo · ad · sacerdotia · evexit
assidue · populum · suum · catechesibus · erudivit
criminibus · expiavit
aegros · vel · maximo · incommodo frequens · invisit
aeternaeque · eorum · beatitati consuluit
Sacrarium · in · aede · principe ab · inchoato
extruxit
frontemque · eius · et · turrim · refecit
inopes · grandi · stipe · levavit
vix an. LXXXII. m. II. d. XIX.
in · pontificatu · an. XXXIV. m. IX. d. XIX.
decess. stirpis · suae · postremus · inter omnium
lacrimas · XIII. K. Ma. an. M. DCCC. IX.
compluribusque · in · templis
funus · eius · instauratum · est
heredes · b. m posuerunt
ne · unquam · omnium · seculorum
posteritas
optimi · constantissimique · Antistitis
immemor · siet.

V.

In aede S. Aegidii montis Alcini.

☧ Ossibus ☧
Iosephi · Bernardini · Pecci · Pontif. Ilcin.
in · templo · primore
·X. K. M. an. M. DCCC. IX. compositis

Canonicus · Vincentius · Clarinius
huius · aedis · Sacerdos · prior
cor · huc inferendum · curavi
ratus · nulli · ipsum · tam · carum · quam · mihi · esse
qui · consiliorum · eius · penitiorum
dum · me · Antistes · optimus · scribae · loco · habuit
particeps · factus
humanitatem · innocentiamq.
ceteris · melius · sum · admiratus.

VI.

Ad S. Quirici in agro Legnaia *prope Flor.*

A ☧ Ω

Cosmae · Benedicti · f. Contio
domo · Florentia
Magistro · clericorum · ad · Petri · maioris
Catechistae · in · valetudinario · S. Mariae · Novae
sacerdoti · docto · prudenti · suavi
gravitate · et · facundia · concionum · probatissimo
qui · curio · aedi · Felicitatis · datus
religionem · cordis · Iesu · iamdiu · in · ea
constitutam
incitamento · pietatis · amplificavit
universoque · sui · muneris · officio
diligenter · et · sancte · perfunctus · est
vix · an. LXXII. m. XI. decess. IV. K. m. an. M. DCCC. X.
Michael · Contius · curiae · Quiricianae
sacerdos · prior
fratri · unanimo · et · de · se · optime · merito
tit. pos.

VII.

Florentiae in aede S. Mariae del Carmine, *quae fuit Carmelitarum calceatorum.*

A ☧ Ω

Hieronymo · della · Porta
domo · Icuvio · gente · patricia
presbytero · Cardinali · tit. S. Petri · ad · Vinc.
viro · priscae · morum · severitatis
sibi · modico · et · in · pauperes · effusissimo
quem · Pius · VI. et · Pius · VII. PP. MM.
in · publici · aerarii · praefectura
liorumque · munerum · splendidissimorum
procuratione
fidelissimum · abstinentissimumq. experti · sunt
pius · vix. an. LXV. M. X. D. I.
Florentiae · mortem · laetus · oppetiit
nonis · Septembr. an. M. DCCC. XII.
Ardicinus · frater · benemerentissimo · fac. cur.

VIII.

In aede S. Martini ad Palmam: in dioecesi Flor.

A ☧ Ω

Simoni · Iosephi · F. Checchinio
doctori · Theologiae · morum · in · Seminario · Flor.
sacerdoti · castissimo · scientiae · et · pietatis · laude
cum · paucis · comparando
qui · multa · et · mentis · et · memoriae · vi
praeditus
litteras · latinas · patriam · historiam

de · qua · etiam · plura · manu · exarata · congessit
volumina
optime · calluit
universasq. disciplinas · ad · presbyteros
pertinentes
tam · firme · et · scite · insculptas · animo · habuit
ut · de · his · consulentibus · queis · domus · eius
patuit · semper
prompte · et · subtili · iudicio · responderit
idem · comis · mitis · indoctorum · patiens
et · largissimus · in · egenos · maxime · infirmos
quorum · complures · integre · aluit
ceteroq. subsidio · ipsis · opitulatus · est
vix. an. p. m. LXXXIII. decess. VII. id. april.
an. M. DCCC. XIV.
Aloisius · et · Ioannes · Checchinii
fratri · optimo · ornamento · gentis · suae · p. c.

CAPUT IX.

EPITAPHIA VIRORUM.

I.

Pupiani: in Sacello villae Guicciardiniorum.

A ☧ Ω

Mathiae · Laurentii · F. Guicciardinio
qui · fato · ereptus · acerbo
spem · domus · suae · florentissimam
praecidit
vix. an. XIX. m. VII. d. XXVI.
decess. IV. kal. decembr. an. M. DCC. LXXXXVI.
Ferdinandus · frater · desiderio · suo · flens. p.

II.

Marmor Pistorii.

A ☧ Ω

Iosepho
Georgii · F. Paur · de · Ankerfeld
domo · Passavia
decurioni · turmae · equitum · in · exercitu
germanico · M. Theresiae · Aug.
praetori · militari · per · Etruriam · ad · an. xv.
quo · in · munere · cum · sumptus immodicos
et · lucra · calumniosa
sibi · abstinens · fieri · vetuisset
Leopoldo · principi · probatissimus fuit
vix an. circiter · lxxxi. comis · integer · pius
decess. ix. k. decembr. an. m. dccc. iv.
filii · maerentes · patri · o. d. s. m. fac. c.

III.

Marmor in Sodalitio S. Marci veteris extra urbem.

A ☧ Ω

Silvestro · Paschalis · f. Bónfanto
viro · probo
medicinae · et · chirurgiae · doctissimo
qui · semper · quaestu · humanitati · posthabito
aegros · quos · potuit · cura · prudenti · et · adsidua
sanitati · restituit
morborum · vi · desperatos · ex · animo · doluit
pius · vix. an. li. m. iii. d. xxix.

mortem · inter · suorum · lacrimas · libens · oppetiit
XI. K. mart. an. M. DCCC VI.
Antonina · Bonfanta · Duccia · fratri · b. m. ;
fac. cur.

IV.

In atrio Aedis S. M. Angelorum de Florentia, quae fuit Monachorum Camaldulensium.

A ☧ Ω

Gregorio · Io. Baptistae · f. Fierlio · I. C.
domo · Cortona
inter · decuriones : patriae · suae · ob · merita
adlecto
sodali · Academiae · Italicae
Cortonensium · Georgophilorum
viro · optimo · pientissimoq.
cuius · modestia · in · honoris · satis · ampli
recusatione
et · humanitas · in · egenorum · iuribus · tutandis
vindicandisq. praecipue · eluxit
scriptori · voluminum · doctissimorum
quibus · usui · forensi
difficultates · plurimae · sublatae · sunt
vix. an. p. m. LXIV. decess. VI. id. ma.
an. M. DCCC. VII.
et · communi · bonorum · praeconio
honestatus · est
fecit · Vincentius · Fierlius · fratri · b. m.
ad · memoriam · domesticae · laudis
cum · omni · posteritate · adaequandam.

V.

Flor. in publicò sacello Oricellariorum super conditorium eorund.

☧

Aede · S. Pancratii · M. profanata
Iosephus . Horat · Oricellarius
sacellum · hoc · gentilitium · pariete · clusit
in · idemque · ex · avitis · aedis · ipsius
conditoriis · II.
titulos · transtulit
et · relliquias · vetustiorum · stirpis · suae
inde · effossas
heic · cum · recentiorum · cineribus
composuit · an. M. DCCC. VIII.

VI.

Florentiae in Sodalitio S. Benedicti albi ad M. Novellae.

☧

Aloisio · Antonii · F. Frizio · Faesulano
fabro · marmorario
viro · animi · mitis · et · benevolentissimi
qui · ob. ex · apoplexi · IV. id. mart.
anno · M. DCCC. IX. aet. a. circiter · XLIV.
mater · ad · luctum · relicta
titulum · insperatum · filio · carissimo · posuit.

VII.

Vici in agro mucellano; in Sacello Boniorum.

A ☧ Ω

Sebastiano · Io. Baptistae · f Bono
viro · optimo · pientissimo · erga · egenos · effuso
atque · in · perpendendis · officiorum · omnium
momentis · diligentissimo
qui · III. vir · causis · cognoscendis
a · Petro · Leopoldo · M. E. D. designatus
honorem · merenti · impertitum
prae · animi · demissione · recusavit
idem · ob · doctrinam · abstinentiamq. singularem
tanta · valuit · apud · iudices · auctoritate
ut · hi · saepe · partium · rationibus
haud · ponderatis
secundum · eam · cui · patrocinabatur · decreverint
ipso · etiam · sententiae · verbis · praeeunte
caelebs · vix. an. LXXXIV. d. V.
decess. VIII. K. febr. an. M. DCCC. X.
Franciscus · Paschalis Bonus
Basilicae · Laurentianae · Canonicus · haeres
patruum · desideratissimum
in · hoc · gentilitium · sacellum
quod · argento · caelato · auxerat
quoque · se · condi · iusserat
inferendum · curavit
titulumque · addidit · memoriae · pietatisq. caussa.

VIII.

In sacello rustico defuncti nunc Guicciardiniorum: est in agro Pistoriensi vulgo Montale.

A ☧ Ω

Petro · Aloisii · f. Bardio
comiti · Verniensi
viro · optimo · commemorabili
ob · excelsum · apertumq. animum
et morum · civilitatem
summis · aeque · et · tenuioribus · carissimo
qui · studiis · chimiae · et · botanices
otium · suum · delectavit
et · artificum · patronatu · suscepto
eorum · ingenia · solertia · sua · acuit
opera · praestantiora · stipe · largissima
comparavit
vix. an. LIII. m. I. in Deum · et · Superos
pientissimus
decess. XIII. K. april. an. M. DCCC. X.
molesto · diuturnoque · morbo · in · patientiae
exemplum · tolerato
eiusq. funus · luctu · publico · et · questu · pauperum
queis · ingenti · pecunia · clam · subvenerat
honestatum · est
Franciscus · et · Ferdinandus · Guicciardinii
heredes
amico · munificentissimo · pp.

IX.

In Sacello villae Billianae prope Faesul.

A ☧ Ω

Antonio · Augustini · f. Rossio · Flor.
XIII viro · collegii · medicorum

praefecto · sodalitatis · stigmaticianae
qui · salutaris · artis · severitatem
eruditione · et · poeseos · iucunditate · temperavit
vix. an. LXII. m. III. d. I. in · Deum · pius
suorum · diligens · amicis · utilis
decess. notorum · moeror · IX. K. aug.
anno · M. DCCC. X.
Io. Baptista · Rossius · fratri · concordissimo
Anna · Billia · coniugi · opt. de · se · merito · pp.

X.

Ubi sit conditus ignoro.

A ☧ Ω

Iosepho · Sebastiani · f. Cappellio · Flor.
a · commentariis · rationum · publicarum
sub · Etruriae · principibus · III.
viro · probo · religioso
et · sui · muneris · diligentissimo
qui · vix. an LXX. m. I. d. VI.
decess. VIII. kal. ma. an. M. DCCC. XI.
fecit · Angela · Kenaben · coniugi · dulcissimo.

XI.

In curia maiore tit. S. Donati ad Calenzanum.

☧

Caietano · Io. f. Tassinario
equiti · Stephaniano
viro · comi · atque · in · curanda · liberorum
institutione · largissimo

qui · ob. IX. X. octobr. an. M. DCCC. XI.
aet. s. p. m. LXXIII.
filii · maerentes · patri · optime · de · se · merito · pp.

XII.

Flor. In aede S. Crucis · Monumentum sculpsit Stephanus Riccius Florentinus et Florentiae publicus sculpturae magister, per quem haec ars in Tuscia revixit.

A ☧ Ω

Pompeio · Iosephi · M f. a · Malactio · Signorinio
iudici · Senis · iudici · Florentiae
itemq. praefecto · consilii · regio · iuri
in · sacricolas · exercendo
viro ingenii · praestantis · et · multa · doctrina
expoliti
quo · consultore · Petrus · Leopoldus · Princeps
in · Etruriae · statu · novis
sapientissimisque · legibus · ordinando
quam · creberrime · usus · est
eundemq. ad · Germanicum · ipse · evectus
imperium
consiliarium · de · Ecclesiasticis · rebus
Atheneorumq. studiis
per · regionem · Longobardicam · referentem · iussit
missa · Vindobona · ineunte · an. M. DCC. XCII.
humanissima · epistola
teste · meritorum · eius · et · indice · amplissimi
muneris
quod · gnaviter · integreq. ut · cetera
ad sexennium · administravit
constitutaque · a · Gallis · cis · alpes · republica

in · patriam · rediit · satis · lauta · pensione
a Francisco I. Augusto · honoratus
vix. an. LXIX. m. IX. d. XVIII. clarus · domi · forisque
et suis · notisque universis · perpetuo · acceptus
decess. VI. id. Ian. an. M. DCCC. XII. eumque
utpote alumnum dilectum
Philosophia moerens · ad · tumulum · usque
sequuta · aeternum · tegebit
Beatrix · soror · fratri · concordissimo · fac. cur.

XIII.

Pisis in sepulchreto publico. Stephanus Riccius supra laudatus sculpsit monumentum.

A ☧ Ω

Laurentio · Pignotto
philosopho · historico · poetae
in · fabulis · italico · carmine · scribendis
facile · primo
qui · vix. an. LXXII. m. XI. d. XXVI.
decess. non. aug. an. M. DCCC. XII.
Boncii · fratres · heredes
avunculo · b. m. pp.

XIV.

A ☧ Ω

In Aede curiali Cusonae dioeces. Collens.

Laurentio · Francisci · f. Guicciardinio
Θ. XVIII. K. decembr. an. M. DCCC. XII.
aet. s. LVIII. m. VI. d. XXVIII.

Franciscus · et · Ferdinandus · filii
qui · nuper · Catharinam · Barptholomaeiam
amantissimam · matrem
sibi · acerbo fato · ereptam luxerunt
nunc · ob · parentis · carissimi · mortem
recrudescente · vulnere
lacrimas · iterant
ipsumq. in · hac · sui · iuris · patronatus · aede
componunt · et · titulum · ei · dant.

XV.

Marmor Pistorii.

A ☧ Ω

Francisco · Iosephi · f. Paur · de · Ankerfeld
domo · Florentia
Pisis · in · utroque · iure · lauream · adepto
publicis ·procurationibus · ab ·Etruriae ·principibus
hone tato
eisq gnaviter · perfuncto
itemq. rei · ferrariae · universae · praeposito
quo · in · munere · subiectorum · omnium animis
sibi · benignitate · devinctis
laetus · fortis · seque · ingentium · solator · obiit
XVIII. K. decembr. an. M. DCCC. XIII.
aet · s. p. m. XLVIII.
fratres · maerentes
viro · pientissimo · sollerti · candido · pp.

XVI.

Florentiae prope conditorium gentis Mazzinghiae ad M. Novellae.

A ☧ Ω

Tedici · Aloisii · f. Mazzinghio
viro · patricio · vetustissimique · generis · sui postremo
qui · optimorum · amicitias · ipse · optimus · coluit
et · ob · ingenitum · mitissimi · animi · candorem
cunctis · ordinibus · placuit
idem · in · Deum · et · Caelites · pientissimus
beati · Angeli · atavi · sui · status · honores
a · Pio · VII. P. M amplificari · impetravit
vix. an. LXIV. m. IX. d. XXII. decess. VIII. id. april.
an. M. DCCC. XIV.
Iulia · Peruzia · heres · ex · asse
coniugi · carissimo · et · b. m.
cum · quo · fecit · an. p. m. XIX. sine · iurgiis
titulum · et · lacrimas · d.

XVII.

In Sacello villae March. Corsiorum in agro vulgo la Loggia.

A ☧ Ω

Francisco · Antonio
Ioannis · et · Mariae · Magdalenae · Mediceae · f.
Corsio · Salviato
Marchioni · Calatiae · cubiculario · Etruriae
Principum · v.

a · consiliis · rationum · publicarum
itemq. praefecto · honorario
servorum · regalium · a · rhedis · et · equis
viro · sollerti · religioso · munifico
suorum · diligenti · amicis · utili · et · in · egenos
effuso
qui · vix. an. LX. m. I. d. XXIV.
deces. IV. K. april. an. M. DCCC. XIV.
M. Magdalena · et · Iulia · heredes
patri · desideratissimo
qui · sui · contemptor · titulum · supra · cineres
poni · testamento · vetuerat
in · pietatis · documentum
atque · ad · perennem · patriae · laudis · memoriam
fac. cur.

XVIII.

Flor. in atrio aedis M. Virginis ab angelo salutatae.

A ☧ Ω

Clementi · Laurentii · f. Susinio
sodali · Academiae · Florent.
cui · ab · graphice · nomen · est
qui · aeris · scalptura
picturisq. e · gypso · lapidis · specularis · ducendis
probe · fuit · eruditus
et · superiorum · temporum · suorumque
cerae · fictores · universos · vicit
ipse · ob · naturam · arte · exaequatam
a · nemine · posterorum · vincendus
cuius · operibus · probatissimis
pleraq. per · Europam . Musea

Florentinum · praesertim · omnium · celeberrimum
cui pensione · conductus · ad · an. XL. apparuit
illustrantur
vix · an. LIX m. IX. d. IV.
decess. X. K. octobr an. M DCCC XIV.
Hieronymus · Bardius · comes · Verniensis
et · Musei · eiusdem · praefectus
viro · optimo · incomparabili
ad · bonarum · artium · decus · et · incrementum
nato
citoq. nimis · ipsis · erepto · p. c.

XIX.

Marmor ad S. Miniatis ad Montem.

A ☧ Ω

Aloisio · Iosephi · f. Baldio
viro · religioso · benevolo
patrifamilias · diligenti
qui · Apuae . alibiq. per · Etruriam · iuridicus
et · Florentiae · causis · cognoscendis
praepositus
doctrina · aequitate · abstinentia
bonis · omnibus · se · probavit
vix. an. p. m. LVIII.
decess. prid. K. decembr. an. M. DCCC. XIV.
Anna · Sammartinia · coniugi · desideratissimo · p.

XIX. v. 4. Iuridicus. *Vicaria.*

XX.

Campi in curia maiore .

A ☧ Ω

Ferdinando
Bernardini · ex · M. Francisca · Stroctia · f.
Ramiresio · de · Montalvo
saxettae · domino
viro · ab · ineunte · aetate · pientissimo
moribusq. integerrimis · praedito
qui · rem · familiarem · quam · neglectam
alienoq. aere · obstrictam · acceperat
cura · prudenti · in · pristinum · revocavit
honestisque · rationibus · auxit
neque · ideo · vita · est · usus · angusta
sed · sumptibus · queis · dignitatem · generis
tueretur
filios · liberaliter · et · sancte · institueret
egenis · et · calamitosis · prodesset · nunquam
pepercit
vix. an. p. m. LXXXIV.
decess. in · Campano · suo · VI. id. apr. a.
M. DCC. XC.
et · in · sepulcro · curionum · maiorum · huius · aedis
ob · merita . adfectionemq. erga · clerum
et · populum · conditus · est
Bernardinus · cum · fratribus · IV. patri
desideratissimo · pos.
an. M. DCCC. XV.

CAPUT X.

EPITAPHIA FEMINARVM

I.

Florentiae in aede quae fuit Clericor. regular. bonae mortis.

A ☧ Ω

Mariae · Septimiae · Ioannis · f. Bocciniae
virgini · perpetuae
exemplo · professionis · Christianae
frugi · domisedae · innocenti
nunquam · de · adversis · rebus · conquestae
quae · vix. an. LVIII. m. III. d. XVI.
naturae · debitum · reddidit · VII. kal. octobr.
an. M. DCCC. III.
Ioannes · Boccinius · posuit · sorori · b. m.
memoriae · pietatisq. caussa.

II.

In curia maiore tit. S. Donati ad Calenzanum.

A ☧ Ω

Mariae · Annae · Francisci · F. Gozziae
Caietani · Tassinarii
feminae · optimae · prudentissimae
quae · a · cupiditatibus · invicta
Deo · coniugi · et · liberis · unice · vixit
apoplexi · tentata
quum · membrorum · linguae · in · primis · stuporem
fere · triennium · patientissime · pertulisset
ictu · iterato · pie · ob. id. febr. a. M. DCCC. VI.
aet. s. p. m. XLV.

Ioannes · Tassinarius · et · Theresia · soror
matri · desideratissimae · pos.
translatis · cineribus · e · sodalitio · M. Magdalenae
quod · fuit · Florentiae · ad · S. Crucis.

III.

In aede curiali montis Ughii.

☧

Carola · Mancinia
Laurentii · f. ex · Clarice · Barbolania · e · comitib.
montis · acuti
omnium · puellarum · ocellus
heic · sita · sum
quae · quadrima · ad · superos · evolavi · XI. K. Octobr.
an. M. DCCC. IX.
formam · sortita · eximiam · indolem · praeclaram
et · supra · annos · ingenium
delicium · corculumque · fui · parentum · meorum
qui · praeposteritate · naturae
hunc · mihi · titulum · posuerunt
et · spe · quam · excitaveram · bonam · frustrati
acerbissimum · funus · meum · dolebunt
quandiu · anima · spirabunt · sua.

IV.

In Sacello villae gentis Capponiae in agro Marignolle.

A ☧ Ω

Iosephae · Alexandri · f. Quaratesiae
Iosephi · Frescobaldii
Feminae · pientissimae

in · Caelitum · cultu · et · pauperum · subsidiis
munificae
quae · laudem · formae · et · ingenii
morum · facilitate · cumulavit
vix. an. p. m. LXI. suis · benevolentissima
decess. X. K. mart. an. M. DCCC. X.
morbi · diuturni · molestiis · constantissime
atque · in · exemplum · toleratis
fecerunt · Anastasia · Ridolfia
et · Magdalena · Capponia
matri · optimae · incomparabili
Petrus · Robertus · Capponius
heic · ubi · Iuliam · et · Cassandram · filiolas · suas
dulcissimas · composuerat
sepulturae · locum · socrui · b. m. dedit.

V.

Campi in Sacello rustico Montalviorum.

A ☧ Ω

Mariae · Genefrae · Nicolai · f. Carcherelliae
Feminae · mitissimae obsequentissimae q.
et · cunctis · vitae officiis · aequabili
quae · Ferdinando · Ramiresio · de · Montalvo
iuvenis · seni · nupta
coniugem · optimum · vehementer · atq. unice
dilexit · viventem
mortuum · lacrimis · et perenni · desiderio
prosequuta · est
matrifamilias · diligentissimae
cuius · cura · adsidua · sobolem · ad · mores · veteres
instituere
rem · tueri · domesticam

otium · sacra · vel · erudita · lectione
atque operibus · quae ingenuas · decent · effugere
Superos · fervida · prece · sibi · demereri
Iosephum · praesertim · Mariae · virum
cuius . festo · die · in · morbum · implicita · est
Sanctissimamq. Dei · genitricem
in · cuius · Annuntiationis · pervigilio · diem · obiit
supremum
an. M. DCCC. XI. aet. s. LXVIII. m. IV. d. XXIV.
filii maerentes · matri · amantissimae
maximis · eius · in · se · meritis · devincti · titulum
pos.

VI.

In Curiali aede agri Baroncelli extra portam S. Nicolai.

A ☧ Ω

Margaritae · Diomirae · Laur. f. Sequiae
Iosephi · Molinii · viduae
matrifamilias · sedulae · liberorum · diligentissimae
quae · ob. x. iun. an. M. DCCC. XI.
aet. s. LXXVIII. m. VII. d. XXIII.
Fridericus · et · Iosephus · filii · b. m. pp.

VII.

Ad S. Miniatis extra urbem.

A ☧ Ω

Mariae · Magdalenae
Dominici · f Brichieriae · Columbae
feminae · comi · solerti · in · egenos · benignae

quae · formae · decus · pudicissimis · moribus
honestavit
vix. cara · omnibus · an. XLVI. d. XVII.
mortem · constanter · obiit · XV. K. iul.
an. M. DCCC. XI.
Franciscus · Passerinius
uxori · desideratissimae · pientissimaeq.
cuius · in · re · familiari · procuranda · sedulitatem
admirabatur
mon · cum · lacrimis · posuit.

VIII.

In sacello villae Oricellariorum in agro vulgo Macia.

A ☧ Ω

Annae · Mariae
Francisci · March. f. Borboniae · de · monte · S. M.
viduae · Io. Petri · Oricellarii
equit. prioris · ord. s. Steph. p. m.
cum · quo · fecit · annos · X m. VII. sine · querela
feminae · optimae · pientissimae
in · liberis · instituendis · censuq. eorum · curando
perdiligenti
quae · diutino · saevissimoq. morbo
fortiter · et · patientissime · tolerato
mortem · obiit · prid. nonas · octobr.
an. M. DCCC. XI. aet. s. XLV. m. IX. d. XVII.
Iosephus Horat. Oricellarius · et · Theresia · soror
quum · parentem · desideratissimam
intra huius · sacelli · septa · lego · prohiberentur
inferre
eam · in · pronao · aedis · Marianae

ad · iv. ab · urbe · lapidem
componendam · curarunt · heicq. titulum
memoriae · pietatisq. caussa · benemerentissimae
pos.

IX.

In pronao aedis S. Mariae a Quarto *in agro Flor.*

☧ Heic · condita · est ☧
Anna · M. Burbonia · de · monte · Sanctae · Mariae
vidua · Ioannis · Petri · Oricellarii
quae · decess. prid. non. octobr. an. m. dccc. xi.
aet. s. xlv. m. ix. d. xvii.
filii · maerentes · matri · dulcissimae.

X.

In aede Curiali Montis Ughii.

A ☧ Ω

· Mariae · Dominicae
Ioannis · cognomento · Volpati · f. Trevisanae
feminae · optimae · domisedae
viri · liberorumque · amantissimae
quae · tempus · a · rei · familiaris · cura
· et · pietatis · officio · vacuum
minoris · picturae · et · musices · oblectamento
fefellit
vix. an. xlix. d. vii. decess. vii. k. novembr.
. an. m. dccc. xi.
Raphael · Morghen · uxori · carissimae.

X. v. 7. Minoris etc. *Miniatura*.

XI.

In Sacello Billiorum prope Faesulas.

A ☧ Ω

M. Franciscae · Nicolai · F. del · Pace
domo · Florentia
virgini · ord. minor. Capuc.
in · coenobio · Tiferni · Tiberini
quae · ipsius · triennali · praefectura · sex · aucta
munus · suum · difficillimorum · temporum · victrix
viro · proprior · gessit · quam · feminae
eadem · magno · religionis · incitamento
maximo · adlaboravit · studio
ut · Veronicae · Iulianae · ordinis · collegiiq. eorumd.
sanctimoniali
honores · Superum · decernerentur
decess. prid. non. Ianuar. an. M. DCCC. XII. aet. s.
LXXII. m. x. d. XXIII.
M. Magdalena · Ionae · Brocchii
sorori · optimae · amantissimaeque
quam · contubernio · emissam · domi · lubens
excepit
citoque · nimis · sibi · ereptam · doluit · m. p. c.

XII.

In Sacello rustico gentis Mannelliae: in loco vulgo l' Isolotto *extra portam S. Frigdiani.*

A ☧ Ω

Veronicae · Francisci · f. Ristoriae
adscitae · inter · virgines · Capuc.

Coenobii · quod * fuit · Perusiae
quae · vix. an. XXXV. m. VIII. d. XXVIII.
Deum · diligens · et · a · Deo · dilecta
obiit · sanctissimo · excessu · IX. K. iul. an. M. DCCC. XII.
Maunellii · fratres · animae · benemerentissimae
pp.

XIII.

Pupiani in Sacello Guicciard.

A ☧ Ω

Catharinae · Mathiae · f. Barptholomaeiae
Laurentii · Guicciardinii
optimae · religiosissimaeque · feminae
et · cum · summa · oris · habitusq. dignitate
et · mentis · prudentia · comi · modestissimaeque
quae · vix. an. LVI. m. IV. d. XXII.
cara · suis · notisq. universis
decessit · ingenti · questu · egenorum
quorum · inopiam · larga · stipe · levaverat
prid. id. Iul. an. M. DCCC. XII.
Franciscus · et · Ferdinandus · Guicciardinii
matri · desideratissimae · cui · plurimum · debent
titulum · cum · lacrimis · posuerunt.

XIV.

In aede S. Felicis ad Imam in agro Flor.

A ☧ Ω

Heic · condita · est
Carola · Caietani · Piattoli · f. domo · Florentia

puella · vitae · integra · et · in · egenos · benigna
quae · feminarum · opificia · ingenuarum
fere · universa · probe · et · supra · aetatem · calluit
matrique · comes · in · re · familiari · administranda
prudentiam · sedulitatemq. suam · ei · maximopere
probavit
pia · vix. an. XIV. m. IV. d. VI. decess. VII. id. decembr.
an. M. DCCC. XII.
parentes · ad · lacrimas · relicti
filiae · dulcissimae · obsequentissimaeque
contra · votum · posuerunt.

XV.

Florentiae, in aede S. M. Magdalenae Pactiae.

A ☧ Ω

Memoriae · et · cineribus
Elisabethae · March. Sigismundi · Senat. et · Baiul.
ex · Theresia · Gabburria · f. Lotteringhiae
della · Stufa
Feminae · optimae · incomparabilis
quae · intra · sacrarum · virginum · septa
a · teneris · annis · ad · nuptias · usque · educata
pietatem · sanctimoniam · austeritatemq. morum
solitudinis · studium
animi · demissionem · prudentiam · benignitatem
in · egenos
ceterasq. virtutes · ibi · haustas
in · proposito · constans · quandiu · vixit · retinuit
eadem · privignas · ut · propriam · sobolem · dilexit
otii · inimica · rei · domesticae · procurandae
vehementer · incubuit

morbum · molestissimum · ad · biennium · sine · questu
pertulit
ex · eoq. obiit · XIII. K. m. an. M. DCCC. XIV.
aet. s. XLII. m. IV. d. XXIX.
fecit · Franciscus · M. Donninius · eq. Steph.
uxori · concordissimae
de · qua · nihil · unquam · doluit
praeter · mortis · immaturitatem.

XVI.

Florentiae in sodalitio sodalium stigmaticianorum.

A ☧ Ω

Aloisiae · Petri · f. Biniae
Feminae · indolis · candidae · facilis · benignae
quae · a · saeculi · illecebris · intacta
in · Dei · coniugis · et · liberorum · amore · tota · fuit
vix. an. XXXI. m. II. d. II.
fessa · morbis · ex · difficultate · IX. puerperiorum
contractis
decimo · obiit · prid. K. Septembr. an. M. DCCC. XIV.
quum · laetissima · iucundaretur · cogitatione
amplexandi · suos · Vindobona · in · patriam
proxime · reversuros
Albertus · Albertius · uxori · dulcissimae
sibi · cito · nimis · ereptae
titulum · dat · lacrimas · quandiu · vivet · dabit.

XVII.

In agro Marignolle *ad Sacellum rusticum Capponiorum.*

A ☧ Ω

Iuliae · Vincentii · f. Riccardiae
feminae · innocentissimae · comi · benignae
viri · et · sobolis · plus · quam · titulo · scribi · possit
diligenti
quae · vix. an. XXIV. m. III. decess. v. x. decembr.
an. M. DCCC. XIV.
Marchio · Petrus · Robertus · Capponius
et · Magdalena · Frescobaldia
nurui · concordissimae
Ginus · Capponius · coniugi · desideratissimae · pp.
O · Iulia · breve · nimis · domus · nostrae
delicium · fuisti
luctus · perpetuus · eris
Sed tibi, quam Caeli iam templa subisse putamus,
Immerito lacrimas lumina nostra darent.
Nos potius flendi, queis quum te funere acerbo
Mors rapuit, miseris abstulit omne bonum.

XVIII.

Faesulis in aede S. Hieronymi.

☧

Mariae · Leopoldinae
quae · vix. an. IV. m. V. d. XIII.
fato · acerbissimo · intercepta · est · XIV. K. iul.
an. M. DCCC. XV.
P. Leopoldus · Ricasolus · Zanchinius · Marsuppinius
eques · ord. S. Steph. per · Florentiam · prior
et · Lucretia · Rinuccinia
fecerunt · filiolae · dulcissimae
a · qua · sibi · faciendum · optaverant
Excellui · forma · memoria · et · ingenio
et · ne · ob · haec · dispendio · beatitatis · aeternae
saeculo · et · mihi plus · aequo · placerem
Deus · me · rapuit · quo · fruor · quem · precor
quaesoque
ut · vobis · o · carissimi · parentes
fratresque · et · sorores · unanimes
mihi · demptos · reddat · annos · et · multos · addat
tandemq. omnes · in · superam · qua · laeta · spatior
regionem · transferat
ubi · securo · perpetuoq. invicem · nos · amabimus
amore.

ADPENDIX AD CAPUT PRIMUM.

I.

Flor. in aede S Crucis.

Ferdinando · III. M. E. D.
quod · XIX. K. ian. an. M. DCCC. XIV.
bona · huic · aedi · tutelae · nomine · adtributa
superiorumq. temporum · infelicitate
abstracta
indulgentissime · reddiderit
et · III. viros · iis · procurandis · constituerit
III. viri · iidem · principi · iusto · religiosissimo.

II.

Ibidem.

Censu · huic · sacro · operi · restituto
curatores · eiusdem · tectum · sarciendum
tegulas · lacunari · suffigendas
et · aquas · pluviatiles · corrivandas · curarunt
maenianum · instauravere
arrectariis · et · transversario · munierunt
totamque · aedem · splendidiore · cultu · exornarunt
in · quem · et · a · Sacellorum · patronis · stipes
collata · est.

II. v. 5. Maenianum etc *Restaurarono il ballatoio, e lo munirono della spalletta.*

III.

In Sacrario eiusdem aedis.

Picturas · elegantissimas
quibus · Iorti · discipuli
hoc · Sacrarium
a · gente . Perutia · excitatum · et · excultum
condecorarunt
foedo · pulvere · obductas
Io. Bapt. eq. Steph. Vincentius · et · Simon
Perutii · fratres
detergendas · curavere · an. M. DCCC. XV.

IV.

Ad eandem aedem.

Io. Bapt. eq. Steph. Vincentius
et · Simon · Perutii · fratres
hoc · gentile · Sacellum · instaurarunt
an. M. DCCC. XV.

V.

Castelliolae Pedemontii.

Aedem · hanc
IV. id. novembr. an. M. DCCC. XII.
nocturna · ruina · delapsam
Praep. Laurentius · Pola
in · splendidiorem · faciem · ab · inchoato
restituit · an. M. DCCC. XV.

FINIS.

Excerptae ex volumine XX. Ephemeridis Florentinae: Collezione d' Opuscoli Scientifici e Letterarj, ed Estratti d' Opere interessanti.